

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.

1. Michtomangus De medicamentis stomachicis 1704
2. Hawkingus De pleuritide 1705
3. Saler Do commotione cerebri 1747.
4. Harbach De febri tertiana intermitente 1722
5. Harbach De venae sectionis in variolis percutitate 1749
6. Karland. De cardialegia flatulenta 1754
7. Kastenogen De ampulatione per insufflationem 1783.
8. Martin De Chorea S. Viti 1730
9. Berlin Circa Lexivium sanguinis 1775
10. Mares De erroribus obstetricorum 1776
11. Mayer De siti 1722
12. Merkel De labyrinthis ventricis 1777
13. Hilzer De hernia cornu incarcata 1769.
14. Menzler De venae sectionis in purpura urucabura 1744
15. Mergileteus De riva
16. Mertens Vulnera pectoris et celi. Siphragmata arteriaria 1758
17. Metzger De argilla 1765
18. Meyer Do aurum cerunine 1784
19. Meyer Do foetus difficit laborioro iti 1774
20. Meyer De fistula ani 1776
21. Meyer De strangulationibus intestinorum in cruce Aldone. 1776

I. N. J.
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
P I C A,

QUAM
Adspirante Divini Numinis Gratia,
A U T H O R I T A T E atque D E C R E T O
GRATIOSÆ FACULTATIS
M E D I C A E
IN ILLUSTRISSIMA ac CELEBERRIMA
ACADEMIA PATRIA

Summis in Arte Medica Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus
rite consequendis

Solenni atq[ue] placido Eruditorum Examini
subjicit
AUGUSTUS FRIDERICUS MERGILETUS,
Argentoratensis.

Die 31. Mensis Martij M DCC I.
Horis Locoque consuetis.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOOR.

GRATIOSO.
LIBERALITATIS. LEGATI.
OTTONIANI.
DIRIBITORUM. COLLEGIO.
VIRIS.
MAGNIFICENTIA. NOBILITATE.
AMPLITUDE. REVERENDA. DIGNITATE.
PRUDENTIA. EXPERIENTIA. CLARITATE.
AUTHORITATE. GRAVISSIMIS.
DOMINIS. MOECENATIBUS.
PATRONIS. EVERGETIS. FAUTORIBUS.
ET. PROMOTORIBUS.
ÆTATEM. COLENDISSIMIS.
OB. FAVOREM. ET. BENEFICENTIAM.
HACTENUS. EXHIBITAM.
GRATI. ANIMI. SIGNIFICATIONEM,
NEC. NON. GRATIÆ. REFERENDÆ. PIGNUS.
INSCRIPTIONE.
HUJUS. INAUGURALIS. DISSERTATIONIS.
CUM. VOTO.
OMNIGENÆ. PROSPERITATIS.
TESTATUR. ET. OFFERT.
AUGUSTUS. FRIDERICUS. MERGILETUS.

VIRO JUVENI

Nobiliss. & Praecellentiss.

AVGVSTO FRIDERICO MERGILETO,
Medic. Candid. digniss.

GEORGIVS FRANCVS de FRANKENAV,
S.R.I. Eqv. Caesar. Palat. Comes, Consil. Justitiae
& Archiater Regius

S. P. D.

*Q*vingue supra triginta facile labuntur anni, $\omega\phi\lambda\tau\alpha\le$
 $\pi\alpha\iota\lambda\beta\pi\alpha$, ubi perillustre Illustrissimi ARGENTORA-
TI Lyceum me artis salutiferae fovebat alumnus, & e
manu $\tau\epsilon\pi\alpha\tau\omega$ MELCHIORIS SEBIZII, alterius illius
Germaniae Galeni, Viri aequo candidissimi atque doctissimi,
dibaphum mihi & oīzoua tribuebat Doctoris medi-
ci. Haud ingtoni ariem tum faciebant Sebizii, Salz-
manni, Kueferi, Bezae, Seuberti, Meieri, Erharti,
Schillingii, Espichii, Dinckelii, Juntae, Mappi.
Postremus hic e prioribus solus superstes

— — vitali vescitur aura,

nunc Reip. Archiater cluit, & choragus est catus medici
splendidissimus, quem Numen sospitet immortale quam
diutissime cum reliquis artis nostrae Atlantibus Scheidtis,
Boecleris, Sebiziis, & aliis artis sacrae myltis felicissimis;
quorum consiliis, DEO auspice, salus conser-
tur publica & restituatur! In hoc sane prae multis aliis

A 2

prae-

S.


praesigne semper fuit ARGENTORATUM [:nomen
mibi aeternum dulcissimum ac altera patria!] ut ale-
ret omnium scientiarum & artium magistros paeclarissi-
mos, immo incomparabiles, qvorum si nomina & nume-
rum inire vellem, citius expedirem

--- calidas Libyae sitientis barenas:
Aut ubi navigiis violentior incidit eurus
Nossem quot Jonij veniant ad litora fluctus;

quam tot illustres Heroas, qui inde velut ex equo dura-
teo prodierunt, & collustrarunt omnem terram!

Te igitur, Clarissime MERGILETE, ter felicem,
Te terque quaterque beatum praedico, cui contigit non
solum ortum ducere e loco tam illustri, sed artibus bonis
ibi innutiriri, & pendere ab ore virorum per orbem cele-
leberrimorum! Maecte hac virtute Tua & adorea, &
quam cepisti, pertexere perge, telam nobilissimam! Sic
DEO T.O. M. servies & Patriae dulcissimae! Sic solatio
eris Parenti, semi sepruagenario, mihiqve à tot annis in-
fucatae necessitudinis nexu conjunctissimo! Sic ornamen-
to eris Familiae clarissimae! Sic placebis omnibus bonis!
Sic complacebis mihi, qui plus quam paterno Te profe-
quor affectu! Eppwro! Scribo Hafniae Danorum in Sialan-
dia III. Eid. Septembr. aer, vulg. cc. loc c.

Σω



Σων τῷ Θεῷ!

DE PICA.

CAP. I.

Definitionem nominalem exponit.



Iicut legitima res, quæ Medicæ considerationis sunt, pertractandi methodus, monente Galeno Lib. μεθόδος θεραπείας c. 5. quando dicit: Τὸν πάντας ζητεμένων εἰς λόγον ἀρχὴν μεταλαμβάνειν τὸ δύομα, nominis ante omnia rationem postulat; ita in præsentiarum nos quoque de ea sollicitos esse convenit, ut eo facilius notitia hujus ad intiomorem rei cognitionem perveniamus. Unde, antequam rem ipsam aggrediar, de affectus nostri Oneematologia, nonnulla præmittere constitui. Absolvitur autem illa Etymologia, Synonymia & Homonymia.

Etymologiam quod attinet, dicitur malum hoc Pica, Græc. πίτα, suamque denominationem vulgaris notitiæ avi acceptam referre à nonnullis creditur. Quare autem ita appellitur, variæ Autorum sunt sententiæ, & certo non constat, quare idem nomen tam diversis rebus datum. Quidam enim propterea

A 3 affe-

— 20 —

affectum hunc Picam dictum opinantur, quod avis
haec vel eodem malo laboret; vel quod, ut ista diver-
sorum colorum pennis prædita est, sibique non con-
color, & modo his, modo istis arboribus insidet, va-
riisque ciborum generibus delestat, ita hoc sympto-
mate laborantes varias res appetant. Quidam etiam
āwā tē kītē, ab hedera, denominare conantur, quoniam
sese variis plantis, arboribus, & parietibus, pro ut oc-
currunt, implicat; & hoc morbo vexati varias quo-
que res appetere ac ingerere solent. Imo varias alias,
prioribus hisce forsitan probabiliores, si mihi nunc Cri-
tici vices subire animus esset, derivationes proferre
possem, (v. g. à *πέρι* i. e. conatus, quia scilicet in Pica
adest conatus animi, quo impense in rem desideratam
feruntur. Vel à *πένη*, fames, vel esurio, non quod
malum hoc sola fame sese exerat, sed quod quemcumque
appetitum famis sitisve nomine synedochice ex-
primere non insolens sit. Vel à *πένη*, carmino, car-
po, quia certum & nonnunquam vetitum noxiuumque
subjectum carpere laborant. Vel denique ab *άνω*,
quo vocabulo indigitatur vehemens motus: quoniam
in quacunque Pica, qualis nobis præ manibus est, ani-
mi quidam motus adest, non ordinarius & naturalis,
sed vehemens & præternaturalis:) Quoniam autem
mihi persuasum est, vocabulum *Pica* esse æquivocum
à *casu*, præcipue cum nulla vera, si à fortuita imposi-
tione recedamus, nominis hujus ratio excogitari pos-
sit, cur una eademque hæc vox rebus significatione
tam longe diversis tributa sit. Prolixus nunc, an af-
fectus noster melius à Pica ave, an vero ab hedera si-
militudine desumpta, an vero ab hoc vel illo vocabu-
lo

Io derivetur, non inquiram. His itaque missis ad
Synonymiam me converto.

Synonymiam si spectemus; nominatur hic affe-
ctus Picatio, Malacia, Citta, Cittosa passio, item Citrosa
tantum. Græcè, *νίτα, μαλακία, νίτησις*. Germanice,
das Gelüste/ Begierde ungewöhnlicher Speise/ der
Schwangeren Weiber Gelüst, quod prægnantibus ma-
xime familiaris.

Quoad Homonymiam Picæ vox sumitur 1. pro
ave, Germanice dicta Aelster oder *Asil* 2. pro tali affe-
ctu, uti postea definitur, & in differentiis tradetur.
Hoc sensu iterum varie accipitur, & vel late patet,
quatenus inexplibilem & insatiabilem rerum escu-
lentiarum potulentarumve concupiscentiam deno-
tat, qualis v. g. est in Bulimo & Appetentia canina.
Vel stricte, prout absurdorum, concoctu difficilimo-
rum, minusque in substantiam corporis convertibili-
lium, appetitum indigitat; quiique tam adultis, quam
juvenibus, tam sexui masculino, quam foeminino,
communis esse solet. Vel denique strictissime, qua-
tenus nimirum prægnantibus, ad res non qualitate sed
quantitate peccantes, inclinantibus præcipue compe-
tit. Nos autem, acceptione priori & posteriori se-
posita, medium hic retinemus.

CAP. II.

Definitionem realem considerat.

ONomatologiae cum nos satisfecisse existimemus;
ad ipsam affectus nostri definitionem realem
traden-

tradendam, pro tenui nostro captu, nos convertemus.

Est itaque Pica Symptoma actionis ventriculi atque partium, quæ Phantasiæ inserviunt, laſſæ, depravatæ, cum rerum absurdarum, insuetarum & insolitarum appetentia conjunctum, ex fermento ventriculi plus minusve corrupto, & phantasia quacunque ratione vitiata, ortum ducens.

Genus in hac definitione diximus esse Symptoma. Quoniam autem Symptomata triplicis sunt generis, Actionis nimirum laſſæ, Excretorum & Retentorum, Qualitatis denique mutatæ, ad horum primum, nempe Actionem laſſam; & cum hæc iterum in actiones abolitas, diminutas & depravatas distingui soleat, ad depravatas, quia fermentum ventriculi & phantasia omnia vitiose atque aliter quam debebant, peragunt, retulimus. Ex quibus dictis simul elucescit, à morbo atque causa morbifica distinctum esse affectum.

CAP. III.

Subjectum proponit.

SUbjectum seu pars affecta, secundum communem opinionem, dicitur esse ventriculus, & quidem sinistrum ejus orificium seu superius, ob plexum nervum, admodum sensile, ibi situm, unde etiam consensus facile cum toto systemate nervoso habet. Si autem accurasier affectus nostri examinatio instituatur, non citra rationem patebit, distinctas esse partes affectas. Cum autem impossibile sit, ut comprehendi-

datur

datur id, quod est p.n., nisi prius cognoscatur quale fit id, quod est s.n., ideoque non abs re fore existimavi, quædam de appetitu animali, antequam ad ulteriore tractationem pedem promoteam, præmittere.

Fit autem appetitus in statu naturali, quando lympha digestrix, seu fermentum ventriculi, ex crustæ villosæ numerosissimis glandulis annulatis Anatomicis dictis exstillance, sua acrimonia salina, ventriculi tunica interiore, præcipue autem sinistrum ejus orificium blande titillat atque vellicat, qui motus à fermento introductus, mediantibus spiritibus animalibus per fibrillas cerebro postmodum co[m]unicatus, appetitiam generat animalem. Si autem fermentum hoc particulis magis quam par acerioribus, sive acerbis, sive austerioribus, sive falsis, sive quoconque modo exprimeret velis, scatet, solito quoque majorem & vehementiorem in tunica nervosa vellicationem excitat, spiritus que contentos exagitat, unde concitati veloci admodum impetu moventur, & animus ex isto motu insolito de cibis capessendis avidius cogitat.

Ex quibus dictis, præter ventriculi Phantasiæ quoque actiones læsas esse, etiam exinde colligimus, quod ad rem aliquam tanquam bonam appetendam, vel malam fugiendam, certum requiratur judicium, quod revera in nulla alia corporis nostri parte residet atque quærendum, quam in cerebro. Hinc, sicut in statu naturali non ventriculus, etiamsi bene constitutus, non ejusdem fermentum laudabile, sed phantasia appetitum modo ad has, modo ad istas res determinat; ita quoque cum corpore humano p.n. constituto comparatum esse existimandum est. Imo mulierculæ in-

B

pri-

primis gravidæ interdum solo intuitu vel commemo-
ratione, ventriculo plane insonte & innoxio, in diver-
fas res, uti quotidiana exempla declarant, feruntur.

Quod porro non solummodo motus spirituum
inordinatus atque insolitus, sed etiam sanguinis circu-
latorius satis testatur. Tempore enim suppressionis
mensium, sive in gravidis, sive in non gravidis, san-
guis menstruali fermentatione agitatus, ad uterum de-
latus, & tanquam excernendus per modo dictam fer-
mentationem à reliqua massa sanguinea separatus, sin-
gularem quædam proprietatem & alterationem, cir-
ca vas a uterina acquirit; si vero ob varias quascunque
causas erumpere non potest, subsistit, donec paulatim
iterum revehatur ad cor. Quatenus postmodum ta-
lis sanguis, vitioso & peregrino charactere inquinatus,
cum reliquo sanguine commixtus, multumque altera-
tus, ex sinistro cordis ventriculo scaturiens, princi-
pium sui motus à solo cordis impulsu recipit, & per
unum atque simplicem arteriæ magnæ truncum ad
superiora æque ac inferiora propellitur, eatenus una
eademque materia & spirituum animalium & fermen-
ti ventriculi existit.

Cujus asserti veritatem, res à picantibus appe-
titæ, quæ neque in esculentorum usum cedere, neque
horum loco ingeri potuerunt, ulterius confirmant, an-
samque firmiter nobis persuadendi præbent; uti ex-
emplum de virgine picante apud Salmuth. C.2. obs.63.
prostat, quæ magno cum delectamento odorem libro-
rum vetustate contractum, alias naribus non jucun-
dum, per integros dies inspiravit. Sic alia apud Bo-
rell. Cent.4. Obs.2, eodem hoc affectu laborans, corii
calcea-

(7.)

calceamentorumq; usu attritorum odorem tetrum ac foetidissimum rebus suavissimis maximeque fragrantibus anteposuit. Observationum itidem Scriptores passim testantur, res alias maxime insipidas atque sordidas, pro valde sapidis minusque sordidis habitas fuisse; quales v. g. historias videmus in Borell. l. c., ubi exemplum habet de virgine Pica laborante, cuius palato stercore humana adeo arridebant, ut etiam cum aviditate devorarit. In Salmuth. C. 2. Obs. 62. qui nobis virginem hoc malo correptam, res candidas, præcipue cerussam & calcem deglutientem, postmodum eas dulcedine maxime præditas pronunciantem, sistit. Phantasiam denique affectam esse, ex mirabilis istius picæ observationibus elucescit, quæ mulierem ad venti exsunctionem intra folles contenti adagit; aliam vero, ut carbonum fossilium pedibus in partes minutæ comminutorum crepitum atque fragorem affectaret, sonumque istum, omnibus aliis rebus posthabitatis, auribus valde gratum judicaret, instigavit. Utihac dereum prolixius videre est in Act. Soc. Reg. Volum. I. pag. 447. Secundum Ettmüllerum in Colleg. Praet. pag. 49. Ex quibus omnibus observationibus non ventriculum tantum affectum esse, sed & phantasiam errorem evidenter colligimus, & plurimis in super aliis consimilibus exemplis, si temporis & instituti ratio permitteret, demonstrari posset.

CAP. IV.

Circa Causas versatur.

Cum Medicis, ut morborum essentiam plenius exchaeriant, illorum causæ accuratius perscrutandæ

veniant, nulliusque rei accuratam cognitionem, sine causarum notitia, nancisci possint; ideoque quantum fieri potest, breviter causarum genera perlustrabimus.

CAUSA itaque PROXIMA & IMMEDIATA affectus nostri in spiritibus animalibus vitiatis, vel viciose motis, phantasiæ munia turbantibus, consistit.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est fermentum ventriculi alteratum & depravatum, tam ab ipsis alimentis corruptis, medicamentis, & venenis; quam à diversis sexum præcipue muliebrem suppressa vacuatione menstrua infestantibus humoribus, inexplicabili quodam modo ad res inconsuetas & absurdas ingerendas, impellens.

Omnia præterea illa, quæ assumptorum indolem in ventriculo corrumpere apta nata sunt, ad causas remotiores constituendas concurrere possunt.

Pertinet huc ex NATURALIBUS Temperamentum, in primis quidem melancholicum sic diētū, quod ad procreandos tartareos atque terrestres humores maxime aptum. Etenim quorum corpora tali temperamento prædicta sunt, variis obstructionibus, sive mensium, sive hæmorrhoidum &c. tentantur, hinc facile negotio ejusmodi retenti humores, in & cum sanguine ad ventriculum delati, concurrente insimul saliva, picam inferre possunt. Reliquis interim temperamentis non exclusis. Sexum utrumque huic symptomati obnoxium præter observations, quotidiana exempla passim declarant. Sexus tamen muliebris virili magis hoc malo corripitur; omnium tamen frequentissime prægnantes, quippe quarum humores ad eacochymiae naturam accedunt, *κινσώδεες* fiunt. Ætas etiam

(9.)

etiam omnis hic pertinet, ubi iterum præ reliquis
pueri frequentius decumbunt, ob voracitatem & chy-
lificationem læsam, appetitus vigorem, ac judicii im-
becillitatem. Multum etiam dispositio hæreditaria
contribuit, qua semina à parentibus vel lue venerea,
vel scorbuto, vel melancholia &c. laborantibus in
prolem propagantur.

Ex NON NATURALIBUS Aër pro volatilisatione ac
resolutione sanguinis maxime necessarius, particu-
lis heterogeneis & miasmati noxiis imprægnatus,
quem non tantum continuo inspiramus, simulque sa-
livæ & alimentis permistum deglutimus, sed etiam ul-
terius præter hancce cum corpore nostro communio-
nem, quatenus id ambit, insigniter calorem concen-
trando, poros cutis occludendo, insensilemque tran-
spirationem prohibendo, alterare & ad hunc morbum
disponere potest.

Multum porro prava victus ratio contribuit, quæ
sive in quantitate, sive in qualitate, assūmendi modo, &
tempore peccet, varios crudos humores producit. Pec-
catur autem inquantitate, quando alimenta copiose
larga manu ingeruntur, hinc ventriculus nimopere
distenditur, & non solū ob impediat contractionem,
sed etiam lymphæ digestricis insufficientiam, quæ de-
terminatam activitatem habet, ultra quam non agit, of-
ficio suo rite fungi non potest. Quod non solum con-
stat ex Hipp. Sect. II. aph. 17. "Οὐς ἀν τροφὴ παρεὶ φύσιν πλέων
ἐστέλθη, τέτο νέσον ποίει. Ubi cibus præter naturam copiosior
ingressus fuerit, id morbum facit. Et Sect. I. aph. 4.
καὶ γὰρ αἱ πλεγμῶται οἱ τὸ ἐξαλον διερυθρώ, χαλεπῶ. Reple-
tiones ad extremum progressa, difficiles sunt. Sed etiam

quotidiana experientia confirmat, cibos crudiores & copiosiores negotium facessere ventriculo ejusque fermento, hinc particulæ alimentariae non prompte evolvuntur, sed excrementitiae relinquuntur. In qualitate vitium committitur, quando assumpta sunt cruda, viscida, atque solida, ut à ventriculo digeri non possint, facile putrescentia, minus ætati, sexui, & consuetudini convenientia, aut ventriculo prorsus ingrata ac inimica. Assumendi modo erramus in nimia ciborum varietate, si modo dulcia, modo acida, modo calida, modo frigida assumimus, quæ omnia ingentes afferunt noxas; quo simpliciora enim alimenta, eo utiliora. Circa esculentorum tandem assumptionem error committitur, si tempus legitimum non observeatur, & prioribus nondum concoctis nova subinde alimenta superingerantur, quod certe citra sanitatis dispendium fieri nequit; qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tale fermentum, quale fermentum, talis iterum chylus. Cæterum, quamvis affectus noster non æque frequens sit quoad potulenta, quam quoad esculenta, idque ob ciborum, quibus in statu naturali vescimur, genera potiora; idem tamen judicium de iis, quantitate, qualitate, assumendi modo & tempore peccantibus, ferendum.

Somnus, vigilia, utraq. modum excedentia, secundum Hipp. pronunciatum *Seç. VII. aph. 71. morbus;* quia longior somnus crudorum humorum coacervationem, & exrementorum retentionem causatur, sanguinemque impurum, spiritus autem torpidos reddit, ex vigiliis autem nimiis virium defectus oritur, quod enim alterna requie caret, non est durabile.

Motus

Motus præcipue intempestive instituti foecundi morborum parentes sunt, quia coctionem impediunt, chylum crudum in vasa lactea impellunt, sanguinem exigitant, spiritusque una cum sudore dissipant, quos postmodum dissipatos virium prostratio, ventriculi reliquorumque viscerum atonia & actio læsa sequitur. Quies immodica sanguini impuritatem conciliat, multaque mala spiritibus infert. Quod Ovid. i. Pont. 6. non ineleganter expressit, dum canit;

Cernis ut ignarum corrumpunt otia corpus?

Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ?

Excernenda, ut sunt lochiorum, mensium & hæmorrhoidum fluxus, si retinentur, varie massam sanguineam alterant ac disponunt. Retinenda vicissim si excernantur, calorem debilitant, vires prosternunt, & hinc variae malorum causæ.

Animi tandem pathemata excludenda non sunt, sed sicuti moderata corpus in sanitate conservant, immoderata vero multiplices crudelesque morbos ipsi, imo repentinam sæpiissime mortrem inducunt, ita & in hoc affectu symbolum quoque suum addunt.

Devolvimur nunc ad res p.n. quæ, sive sint morbi, sive symptomata, sive causæ morbificæ, Picae occasionem dare possunt. Quamvis autem hæc omnia multis verborum ambagibus non indigeant, longeque notiora sint, quam quod multa de iis dicantur; interim tamen nonnulla, majoris illustrationis gratia, exempla proferre non pigebit. Sic exemplum de puella 15. vel 16. annorum, quæ Pica à scabie retropulsâ laboravit, apud Ettmüllerum in Coll. Conf. Cas. III. p.m.

1298.

1298. legimus. Item, affectum hunc ex ulcere fau-
cium, pus suum in ventriculum transmittente, Hildan.
in Observat. Cent. i. Obsl. 37. ortum refert. Picam
cum scorbuto complicatam vide apud Horst. Obsl. 35.
L. 7. &c.

Data hac oœcasione quæritur, an in Pica talia ap-
petantur, quæ cum lympha ventriculi digestrice
convenientiam habent, an vero quæ non habent? re-
spondetur, Autores hac de re in varias abire senten-
tias, & modo affirmativam, ut Trallianus, Rondeletius,
Langius, Mercatus; modo negativam, ut Avi-
cenna atque alii tuentur.

Alii vero, inter quos Jonstonus, dum affectus ad-
huc est in fieri contraria, ubi autem altas egit radices,
similia appeti asserunt. Quorum opinioni Fernelius
iterum contrariatur, autumans; ventriculum in prin-
cipio vitioso humoris similia, successu vero temporis
contraria expetere. His itaque diversis sententiis ul-
tro citroque consideratis, ex Ettmüllerī cæterorum
que parte, qui in Pica appetitum similium esse dicunt,
standum duxi, idque ob varias rationes.

Præcipue certi cum simus talium decumbentium
fermentum esse corruptum, jam vero, si eorum appre-
titus in contraria ferretur, necessario deberent boni
succii alimenta appetere atque assumere, & vicissim,
cum ventriculus res naufragandas & abominabiles
poscit, lympha illius digestrix laudabilis & optimæ
constitutionis esset, quod tamen veritati & experien-
tiæ consentaneum non videtur. Quippe quæ nos do-
cet, picantes tales res, quibus cum fermento conveni-
entia intercedit, appetere; quod præter alias ex alle-
gata

gata Hildani observatione patet; qua nobis picantem, res saitas fumoque induratas, ob pus falsum atque acris destillatum, appetentem proponit. Ratum itaque manet, picantium appetitum esse similium, quia saepius atque saepissime oculis usurpamus, quod appetita quamvis deteriora, maxima cum jucunditate non tam assumentur, quam citra noxam digerantur.

CAP. V.

Differentias enucleat.

CAUSIS perspectis, perpetuae veritatis axioma, (qui bene distinguit, bene discit & docet) nos ultro ad differentias considerandas invitat.

Cum autem superius Picam symptomam ventriculi, cum rerum absurdarum, insuetarum & inusitatrum appetentia, conjunctum esse, dixerimus, à Mala-
cia eum Recentioribus distinximus, quæ etiam est
symptoma ventriculi cum appetentia summa atque
vehementi desiderio, sed rerum usualium, non ab-
surdarum, & non, nisi prægnantibus competit. Quare
videmus res ejusmodi vehementer appetitas & dene-
garas aut Lipothymiam, aut abortum, aut varios vi-
tiosos characteres, quibus foetus defoedantur, insequi.

Pica alia etiam est quæ per essentiam seu *ἰδιοτήταν*
fit, quando ventriculus non bene constitutus proprio
vitio & labe affectum hunc producit; Alia, quæ per
consensum, sive *συμπάθειαν*, quando sáburra vitiosorum
humorum in aliqua corporis parte genitorum,
transmittitur atque communicatur.

Ratione sexus alia est quæ virilem invadit, uti de
tribus viris, quorum unus urceos, clavos, coria, ligna,

C

an-

anguillas, aves implumes, & mures vivos absque ullo incommodo; alter pannos ex lana confeccos, coria, felem viventem atque mures; tertius vero inter alia felium caudas, cadavera putredine corrupta, vermisbus exesa, prout ea in plateis offendebat, devoravit, videre licet ex M. A. N. C. Ann. 6. obs. CXXXIX. pag. 201. & 202. Alium, porcellum vivum pilis obtutum, exenteratis solummodo intestinis tandemque intestina excrementis referta deglutivisse M. A. N. C. Ann. I. Obs. LXXXIII. pag. 202. testantur.

De marito pro muliere gravida vomente picaque laborante, item de aliis, toties dentium dolore, quoties uxores eorum in utero geregabant, correptis, evolvantur M. A. N. C. Ann. 2. Obs. CCXV. p. 317. Sic de trium annorum puero Pica laborante, cineres terramque devorante, edulia autem euchyma respiente, exemplum apud Petr. Johan. Fabrum Cur. 62. legimus.

Puer 6. annorum, statim post ablactationem, creatam, pulveres, arenam, hujusque tantam copiam una vice, quantam pileus fere capere potuit, calcem vivam, carnem crudam, ellychnia &c. deglutivit. Qua de re vid. M. A. N. C. Ann. 6. Obs. CXXXIX. p. 200. De pueris itidem crustas calcesque parietum; theriacam in larga satis quantitate; terram nigram ingerentibus, evolvantur Fonsec. Observat: & quidem Obs. 91. Lib. 7. Plater. Obs. Lib. 1. pag. 223. M. A. N. C. L. modo c. Quamplurima virorum atque puerorum pica laborantium exempla in medium hic proferre possem, quoniam autem in Schenckii Observat. Lib. 3. Obs. XXXIII. XXXIV. & alibi passim occurunt, potiora allegasse sufficiat.

Alia

Alia autem est, quæ sequiorem sexum adoritur; quemadmodum de picantibus appetentibus & comedentibus non solum Zinziber ad libras aliquot, juxta Plater. l.c.; mille quadringentasque circa noxam haleces, secundum Tulp. Lib. II. Obs. XXIV. Magnam glaciei copiam, apud Brasavol. in comment. sect. 5. aph. 24. Duodecim fere haleces una vice, vid. Welsch. Obs. CXXXVII. Cambaros fluviatiles crudos, perh. bente Trincavell. de ratione curandi partic. hum. corp. affect. Lib. VII. pag. 178. Triticum crudum; Piperis, 20. libras; Panem axungiæ, picique, qua naves obduci solent, intinctum; 12. nullorum capita; Cypri- num vivum fere integrum, sicut M. A. N. C. Ann. 6. Obs. CXXXIX. pag. 199. Ann. 2. Obs. CCIX. p. 312. Ann. 2. Obs. XLVII. p. 77. testantur, scriptum legimus. Sed etiam stercora, vid. Borell. l.c., Sennert. in paralipom. p. 128. &c. Admodum rara & pretiosa fuit foeminae istius Parisiensis pica, quæ una vice segmentorum sive filorum oculatorum (Germ. Spalten oder Vor-ten) pro 400. Imperialibus, & elapsis 3bus diebus, iterum pro 400. devoravit. Araneas majores innoxie ingerentis exemplum occurrit apud Ettmüll. l.c. Imo infrequens non est, ut in carnes humanas, plus quam inhumano appetitu ferantur, cuius rei testimonium habemus in grida ista, quæ tanta cupiditate, carnis proprii mariti vescendi flagravit, ut eum, appetitum explendi gratia, horis nocturnis interficerit. Sic alia cervicem juvenis cujusdam appetiit, dentibusque laceravit. Alia ex sacerdotis cujusdam calcaneo frustum avide morsu abstulit. Alia eodem hoc malo pressa, per picam infantis 3. annorum natibus dentes infi-

xit, conferantur M. A. N. C. Ann. 2. Obs. CCIX. p. 312.
 Ann. 7. Obs. CCXXII. p. 422. Marcellus Donatus hist.
 mirab. Lib. 4. cap. 1. fol. 107. ex Bugati historia hor-
 rendum de muliere quadam Mediolanensi refert, quæ
 variis blanditiis infantes subreptitie allectos, interfe-
 cit, saleque conditos quotidianam in escam asservavit
 Quod tamen homicidium mirabiliter detectum legi-
 mus. Postquam nimirum Parentes filiam amissam-
 quæsivere, forte fortuna manus à fele furtive subtra-
 cta, iisque præsentibus in ædes vicinas delata, filiae in-
 teremptæ cogitandi suspicionem præbuit. Quare be-
 stiam istam, ut viderent quo sese reciperet, persecuti
 fuere, quæ mulieris modo dictæ domum celeriter pe-
 tiit; atque sic parentes eam introgressi, filiae corpus
 vita privatum integrum adhuc offenderunt.

Puellas picantes, esuque luti ac calcis, de parieti-
 bus abrasæ, sese delectantes, in M. A. N. C. Ann. 4. Obs.
 CXLIII. p. 150. & Ann. 3. Obs. LXXXVI. p. 187. in-
 venies. Platerus l. c. aliam, cepam sub cineribus co-
 ñtam, theriaca impletam, bubonique pestilentiali antea
 impositam, comedentem observavit. Sic plures alias,
 quæ crines proprios, filamenta, quibus uestes consutæ
 erant; frumentum crudum, gossipium, &c. devora-
 runt, in Schenkl l. c. vide. Marcellus Donatus l. c. scri-
 bit, se puellam pica laborantem vidisse, quæ non tan-
 tum lacertis insidiata est, sed etiam innoxie devoravit.
 Araneas etiam innoxie deglutitas esse, Borell. Cent.
 III. Obs. XIX. dicit. Imo curiosa exempla quæ pas-
 sim occurunt, nos, animalia etiam bruta ab hoc affectu
 non esse immunia, docent. Quemadmodum River.
 Cent. IV. Obs. XCIII. felem suam domesticam carbo-
 nes

(17.)

nes & cineres vorantem observavit. Sic Ettmüll. l. c.
canis venatica gravidae picantis; & Alius, porcarum
picantium ex Actis Anglicanis mentionem faciunt.
Quæ tamen ipsissima verba, iis destitutus, non legi.

Differentiae denique ab omnibus istis de quibus in
causis mentio facta, hic desumi possent: quoniam au-
tem non est, formare illas ut prolixus sim, & quilibet in-
super ex iis supra allegatis poterit, propterea hæc de
differentiis dixisse satis sunt.

Quæritur, autem quando picantes res extraordinari-
as, venenatas, concoctu difficultimas, aut plane ineptas
desiderant, an citra noxam ingerant, nec ne? Respon-
detur, quemadmodum ventriculum fermento similia
appetere, resque absurdissimas ad venenatam itidem
naturam accedentes, citra noxam devoratas fuisse, ex
superioribus constat; ita talia nocere cum aliis non exi-
stimo, si sobrietatis limites observentur, atque nimia in
quantitate una vice non ingerantur. Nam alias cibi
etiam *ἰχθύους καὶ ἔπιπλοι*, legitimo modo, quantitate &
tempore neglecto, corpora alioquin sana, de statu na-
turali, juxta Hipp. sect. II. aph. 17. deturbant, quia πᾶν
τὸ πολὺ τῷ φύσει πολέμει Hipp. Sect. II. aph. 51. pronunciat.
Si itaque picantes hac ratione extranea, & quæ alias
nocitura erant, capiunt, nullum interdum detrimentum in eos redundat; partim ob vehementem ima-
ginationem, (cujus stupenda saepè vis,) qua talia sub
specie boni expetunt: Partim ob fermenti ventriculi
interdum summam activitatem atque vehementiam,
quæ, vim suam in duriora absurda prius exerendo mi-
nuta atque fracta, cibos postmodum melius dissolvit
atque legitimate fermentat: Partim etiam talia non no-

cent, quia nonnulli diuturniore rerum pessimarum usu habitum contraxere, ut exinde nullo modo lœdantur, quod Hippocrates quoque *Sect. II. aph. 50.* confirmat, quando dicit: Τὰ ἐν πολλῇ χρόνῳ συνθέα, οὐδὲν οὐχίων ἀσύνθετον οὔσον εἰσχέντες. A multo tempore consueta, etiam si fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent. Talem etiam constitutionem fuisse Mithridati Regi, qui, quotidie hausto veneno, sibi ab insidiis cavere studuit, Martialis sequenti disticho, Lib. 5. Epigr. 78. exhibet.

*Profecit poto Mithridates s̄epe veneno,
Toxica ne possint s̄eva nocere sibi.*

CAP. VI.

De Signis

Diagnosticis & Prognosticis.

Cæterum, cum omnibus, quibus verumcurationis scopum attingendi animus, in signa ante omnia investigandum sit, teste Foresto l. 22. Obs. 33. quando ita dicit: Signis ati semper oportet, non ad affectum modo discernendum, sed etiam ad affectum locum & causæ qualitatem. Adea itaque perlustranda me etiam accingam.

Sunt autem vel Diagnosticæ, vel Prognosticæ, illa, quatenus nos de morbo aut imminentे, aut præsente certos reddunt, iterum vel ut παθογνωμονικά, αἰτιογνωμονικά & distinctiva considerari possunt. Quoad παθογνωμονικά cognitū facilis est hic morbus, & præter ægrotantis relationem, ex rerum absurdarum & insitatarum appetentia satis patet, nec multis indagatiōnibus opus habet.

Signa

Signa ~~αἰτιογνωμονία~~, quæ nobis ad causarum cognitionē viam sternunt, ex propriis petenda sunt indiciis, ex ipsius nimirum ægrotantis natura, temperamento, rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturalibus, ex juvantibus item & lædentibus, excretis & retentis cognoscuntur. Signa denique distinctiva, quibus affectus noster ab aliis, nempe Malacia, Appetentia Canina & Bulimo distinguitur, cum supra de iis jam actum fuit, hic prætero.

Quoad prognosin: Picantibus præcipue prægnantibus; res vehementius appetitæ, quamvis insuetæ, si nullis persuasionibus placari possint, natura velut dictante & ita jubente, modo ne sint deteriores, concedi possunt juxta Hipp. sc̄t. II. aph. 38. Paulo deterior, & potus, & cibus, jucundior autem, eligendus potius, quam meliores quidem, sed ingratiores. Imo interdum ~~δε τὰ~~ ^{τὰ} αἰτιογνωμονίαν; oportet etiam ad insolita mutare, monente eodem sc̄t. II. aph. 50., ne in embryonem uteri materno inclusum noxa redundet; uti rei dengatae exemplum nobis suppeditat Ettmüllerus I. c. de muliere quadam, maximo desiderio dentes pectori viri cuiusdam bis infigendi, flagrante, ultimumque ob mortum denegatum, duos filios, unum vivum, alterum mortuum pariente. Salmuth. Cent. I. Obs. 41. refert, quod prægnans picaque laborans, magna cum voluptate lanionis nonnulli barbam vellicare gestierit, quod bis non citra pilorum jacturam sustinens ultima vice denegavit, unde duos infantes vegetos, tertium autem mortuum in lucem edidit. Sic alia ejusdem status, apud Welsch. I. c. quandam denudatis pedibus incidentem, enixerrogavit, ut pro certa pecunia patere.

teretur dentes bis suræ infigi; cuius etiam petitioni annuit. Postquam vero alterum præ dolore mortuam denegavit, tristis atque mœstitia plena discessit, & interiectis diebus, gemellos, unum vivum, alterum mortuum enixa est. Panarol. Pentec. I. Obs. 12. inquit; mulierem maculam mali punici in clune dextro, ob matris malaciam, omnibus mutationibus, quibus baustiorum flores & fructus, obnoxiam gestare. Quod etiamnum quotidie accidit.

Lethalis affectus per se non est, si non plane inconstueta & summe nociva assumantur, si assumpta nulla gravia symptomata, qualia sunt syncope, convulsiones epilepticæ, Lipothymia & alia insequantur, si non continuo & per sympathiam affligat, si statim lochii expurgatis cessat.

Chronicus interim est morbus, quippe qui in gravidis circa quadragesimum à conceptu diem contingit, quia neque fœtus tunc temporis sanguinem maternum pro nutritione affluentem tanta in copia absūmere potest, quanta affluit; neque natura per vias ordinarias evacuationem solennem instituit; propterea pravam facillime qualitatem sanguis acquirit, quæ ventriculo alias debili communicata, hanc molestiam creat, donec quarto mense humores, ob matris nauseam cibos abhorrentem, & exigua dosi sumentem, concocti atque ad excretionem præparati, partim per vomitum spontaneum imminuantur, partim vero per alias convenientes vias expellantur. Per accidentem autem periculosis evadit, quando res ad venenatam naturam inclinantes & nocivas, & quascunque absurdissimas absque intervallo appetunt, & per insigne

signe temporis spatium copiose ingerunt; sic enim massa sanguinea mirum in modum turbatur, à Statu naturali dejicitur, tandemque chronicī affectus (ut sunt Cachexia, Chlorosis, Tabes, Icterus, Hydrops &c.) imo sāpe mors, subsequuntur.

CAP. VII.

Curationem proponit.

His ita de Picæ *Secunda* pensitatis, partium nostrarum est ad *diaḡnōsticū* descendere, ipsamque mendendi methodum, à qua Medicorum nobilitas, subiungere. Quoniam autem affectus noster est ex symptomatum numero, eaque à morbo velut umbra à corpore dependentia, curatione, qua talia, opus habere non videantur, quoniam sublatis' morbis sponte cessant; nihilominus tamen, cum urgens sit symptoma, prout *præsentem* morbum vel fovet, vel futurum minatur, vel denique vires nimis opere prostrernit, curationem exigit. Ne autem quicquam *ā dīc. p̄s̄t̄s̄* agere videamur, à tribus indicationibus pendebimus: curatoria nimis, *præservatoria* & vitali. Curatoria studet, ut rerum absurdarum & insolitarum appetentia tollatur, fermentumque ad statum naturalem iterum reducatur. *Præservatoria* causas tam proximas, quam remotas, quibus malum hoc foveri, in actumque deduci potuit, è medio tollit. Vitalis vires oppressas & prostratas roborare medicamentis accommodatis satagit. Indicationibus autem modo dictis ex tribus fontibus, chirurgico nempe, pharmaceutico & diätetico satisfiet.

D

Ex

Ex fonte Chirurgico sese offert V. S., quam tuto
 imperare possumus iis, ubi indicans adsit, junioribus &
 habitioribus, quibusve vires adhuc sunt constantes, si
 mensium aut hæmorrhoidum suppressio ansam dedit;
 imo ipsis prægnantibus, non obstante Hippocr. aph. 31.
Sect. V. γυνὴ ἐγενέτη καὶ φλεβούμβησα ἀπιλέσθη, i.e.
mulier in utero gerens secta vena abortit. Venæ sectio-
 nem enim nequaquam in gravidis simpliciter interdi-
 cere, sed hoc tantum intendere videtur, ne nimis pro-
 fusi in gravidarum sanguine exauriendo, sed cauti-
 simus, quod nobis sequentibus verbis conditionate
 positis innuit, *καὶ μᾶλλον, εἰ μᾶλλον ἐν τῷ οὐρανῷ.* Si præ-
 terea quantitatem sanguinis, quam ad libras aliquot,
 imo in febris acutis, & continuis, usque ad animi de-
 liquium, Veneranda Antiquitas venæ sectione detra-
 ere solita fuit, in memoriam revocamus, unicuique
 patebit, eam citra infantis in utero materno latitantis
 documentum, administrari fere non potuisse. Quo-
 ad nostra vero tempora, pretioso parcere succo edo-
 eti, sanguinem ad $\frac{3}{4}$ v. v. viij. mittunt; imo in ex-
 tremo necessitatis casu, ultra libram non ascendunt.
 Hinc videmus ævo nostro V. Sectionem prægnanti-
 bus, mediis etiam mensibus, non tantum conducibili-
 le, sed & ab abortu præservatorium esse remedium;
 uti Panarol. Pent. 1. Obs. 10. testatur, se vidisse mulie-
 rem, quæ semper quinto mense abortum passa est, se-
 cta vero vena, filium vivum peperit: quapropter
 etiam Pentec. 2. Obs. 10. tanquam ab abortu præserva-
 torium remedium laudat. Sic gravidae, cui octo sal-
 tem dies ad instantem usque partum defuere, V. Sectio-
 nem bis imperata, & maximo cum fructu adhibitam
 fuisse

fuisse in Stalpart. vander Wiel. Cent. i. Obs. XXXIII.
 legimus. Cæterum, cum præ aliis similibus, in River,
 pr. Lib. 9. de morb. mulier. cap. 16. annotatu satis di-
 gnum exemplum occurrat, ejus verba hoc transferre,
 operæ pretium duxi. *Uxor, dicit, Joh. Vieules civis
 Monspelienſis, tres abortus consequentes passa fuerat variis
 temporibus gestationis: dum quarto gravida esset, circa
 finem mensis secundi, correpta est iisdem ventris, & lum-
 borum doloribus, qui aliorum abortuum prodromi esse con-
 sueverant. Vocatus ad eam, & advertens mulierem san-
 guineo temperamento præditam, & plethoricam, statim
 sanguinem mitti jubeo ad 3vij, & intra dimidiam horam
 prædicti dolores omnino quieverunt: & mulier ita bene
 habuit, ut reliqua remedia, ad præcautionem aborsus à me
 prescripta admittere noluerit: illa autem symptomata ap-
 paruerant eo prorsus tempore, quo ipsa extra graviditatem
 menstruas purgationes pati consueverat. Tertio demum
 graviditatis mense eadem periodo similia redierunt sym-
 ptomata. Illam statim vocatum rogat, ut iterum phle-
 botomiam præscriberem, cum præterito mense adeo præsen-
 taneum levamen ab ea perceperisset. Me igitur votis ipsius
 annuente, sanguis denuomittitur, pari prorsus eventu.
 Quarto itidem mense, quinto, sexto, octavo, iisdem sympto-
 matis periodice recurrentibus iterata fuit V. Sectio, & mu-
 lier statim liberabatur. Ultima phlebotomia celebrata
 8. diebus ante principium noni mensis cum codem fructu;
 & circa finem noni mensis dicta mulier peperit filium
 vitalem & bene habitum. Quod hodienum quotidiana
 praxis, rerumque magistra experientia docet. Hi-
 rudinum porro applicatio, præcipue in iis, in quibus
 pica ab hæmorrhoidum obstructione ortum dicit,
 quiq[ue] ejusmodi evacuationibus antea assueti fuere;*

ut & cucurbitularum admotio, locum invenit, quæ non solum sanguinem subcutaneum evacuant, sed etiam toti massæ sanguineæ aliquid successive detrahunt.

Ex fonte Pharmaceutico, cum ventriculus ante omnia sit à vitiosis humoribus liberandus & vacuandus, vomitoria atque purgantia prosunt. Quamvis autem illa unicum interdum sint remedium, quatenus materiam peccantem, in ventriculo, aut circa eum hærentem, ejiciendo, hunc affectum aut plane tollunt, aut corpus pro facilitiori medicamentorum operatione præparent, bene tamen corpora ab invicem sunt distinguenda, & caute, præcipue gravidarum sunt tractanda. Primis quidem gestationis mensibus, natura nobis præente, viamque monstrante, (secundum Hipp. aph. 21. sect. I. Ἀ δεὶ ἄγειν, ὅπει μάλιστα πέτη, ταῦτη ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφρεόντων χωεῖων, id est. Quæ ducere oportet, quo maxime vergant, eo ducenda, per loca convenientia;) talia præscribere possumus, sed lenia, non fortiora; circa quartum autem ad ultimum usque mensem, quoniam semper periculum fere abortus adeat, abstinere satius.

Verum, quoniam multi vomitoria medicamenta perferre non possunt, iisque propinatis in summas anxietates, imo lipothymias incident, purgatio, præmissis si opus digestivis, per inferiora, etiam in prægnantibus, (monente Hipp. sect. IV. Aph. I. Τὰς κυθαῖς φαγούσσειν, ή δρυᾶ, τελεγύμνα, καὶ ἄχει επὶ τὰ μυρινά. Prægnantes purganda, si materia turgeat, quadrimestres, & usq; ad septimum mensēm,) catharticis mitioribus, emollientibus, laxantibus & blande abstergentibus erit instituenda.

Materia peccante ita evacuata, & causis à quibus dependebat remotis, fermentum ventriculi acre saturandum

randum & absorbendum est pulveribus cacheeticis, & martialibus, item corporibus terreis & marinis. Ex quibus pro Medici varia intentione, variae quoque medicamentorum formulæ concinnari possunt.

His feliciter adhibitis, ad medicamenta diaphoretica transire possumus, ut horum beneficio materia adhuc restitans in massa sanguinea, minores in particulas resolvatur, atque sic resoluta, per poros totius corporis cutaneos eliminetur.

Tandem ventriculo tonus amissus iterum est restituendus, & fermentum ejus ad statum naturalem reducendum, quod præstamus blandis vegetabilium acidis, ventriculo gratis, externisque topicis convenientibus.

Ultimo denique loco Diætam, cuius interdum solius beneficio affectus hic tollitur, quæque in sex rerum nonnaturalium legitimo usu consistit, ut consideremus restat. Sic aer eligatur purus, temperatus, nullis peregrinis particulis aut exhalationibus dodatus: si autem loci conditio, atque cœli inclemensia non permitunt, arte talis, suffitibus & odoramentis præparetur. Cibi ἔυχυμοι, ἔυπεπλοι καὶ πολύζωφοι moderate assumantur, cujusmodi sunt jura carnium, tremor ptisanæ, ova tremula, caro vitulina, caponum &c. cum malis citreis dissectis parata; cum modo dictis concoqui etiam possunt herbæ convenientes, v. g. acetosa utraque, endivia, portulaca &c. Panis sit optime fermentatus. Potus sit vinum generosum, vetus, hoc enim cruditatibus absumentis maxime est aptum.

Motus & quies, somnus & vigiliae sint moderatae. Evacuationes naturales & consuetæ in foeminis pariter (exceptis gravidis) ac in viris, quantitati, qualitati & tempori respondeant.

Animi

Animi pathemata, sint moderata, sive seria sive jocosa; picantibus semper talia narrentur, ut animus, quantum possibile, à rerum absurdarum appetentia seducatur. Parentes, Amici atque adstantes in admonitione, vel objurgatione amica, si opus atque consultum, sint seduli, ut talia absurdissima fugiant atque omittant. In summa, à quocunque morbo Pica originem trahat, semper statim curatio ad eum est dirigenda: sublata enim causa, tollitur effectus.

*S*ubinde multos appetentiā novā
Inordinatā corripi,
Nullosq; ē satis repleri perspicis,
Cupidines nī compleant.
Alius sēd est sensus Tibi, mi MERGILET!

Res altiores qui petis.
Nam prodis insucto appetitum nomine,
Quem Disputatione das,
Ad digna descendendi honorum culmina,
Quæ promereris optimè.
Moveare perge alios ad Exemplum tuum,

Quæ sana pro sint morbidis.
PICAMq; ueracavq; discernere queant,
Manus medentis addere.

Apollinis donec sequantur Te Duce
Artis rigati spiritu.
Gaudebit hinc tecum chorus Medentium
Plaudentq; honoribus Tuis.

Hafnia Danor.
9. Septembr.
Anno 1700.

Sic Nobilissimo
DOMINO DOCTORANDO
Amico suo suavissimo, de novis honoribus
gratulari voluit, debuit

Michaël Fridericus Cheminitius, Med. C.
F I N I S.

Errata,


*Quae preter omnem spem, festinatione Typothetæ
irreperscunt.*

Sub finem fere epistole leg. celeberrimorum. Pag. 2. lin. 7.
leg. αὐτὸν. pag. 4. lin. 13. leg. iterum. pag. 5. lin. 7. leg. annu-
latis. pag. 9. lin. 21. leg. in quantitate. lin. 30. leg. πληρώσεις.
eadem lin. leg. ἀφίγμέναι. pag. 12. lin. 6. dele ap. pag. 16. lin. 8.
dele - lin. 29. leg. occurunt. pag. 17. lin. 7. dele formare il-
las. lin. 8. post verbum allegatis adde formare illas. pag. 18.
lin. 16. leg. verum curationis.

(x2282770)

V017







N. f.
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE
P I C A,
QUAM
Adspirante Divini Numinis Gratia,
AUTHORITATE atque DECRETO
GRATIOSÆ FACULTATIS
M E D I C A E
IN ILLUSTRISSIMA ac CELEBERRIMA
ACADEMIA PATRIA
Pro
Summis in Arte Medica Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus
rite consequendis
Solenni atq; placido Eruditorum Examini
subjicit
AUGUSTUS FRIDERICUS MERGILETUS,
Argentoratensis.
Die 31. Mensis Martij M DCC I.
Horis Locoque consuetis.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS FRIDERICI SPOERI.